Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tum faciat necesse est dolorem, quantum manens fecerat gaudium. Verumtamen ex amico intimo factus inimicus, querat sane potius quod fingat astutus, non inveniat quod prodat iratus. Hoc autem unusquisque facile assequitur, non occultando quod fecerit, sed non faciendo quod occultare velit. Quod misericordia dei bonis piisque concedit, ut inter amicos quoslibet futuros liberi securique versentur, aliena sane peccata commissa non prodant, que prodi timent nulla ipsi committant. Cum enim falsum quiddam a maledico fingitur, aut omnino non creditur, aut certe integra salute sola fama vexatur. Quod autem malum perpetratur, hostis est intimus, etiam si nullius intimi loquacitate aut lite vulgetur. Quapropter quis prudentium non videat, etiam tu quam tolerabiliter feras amicissimi quondam et familiarissimi incredibiles nunc inimicicias consolante conscientia, et quemadmodum vel quid iactitat, vel quod a quibusdam forsitan creditur, in sinistris armis deputes, quibus non minus quam dextris contra diabolum dimicatur. Verumtamen illum maluerim aliquo modo mitiorem, quam te isto modo armatiorem. Hoc magnum et triste miraculum est, ex amicitiis talibus ad has inimicicias pervenisse. Letum erit et multo maius, ex inimicitiis talibus ad pristinam concordiam revertisse.

Item augustinus ad ieronimum. Epistola xxx.

Domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis obsequendo, atque amplectendo fratri et compresbitero ieronimo. augustinus in domino salutem. Numquam me quisquam tam facile cuilibet innotuit, quam mihi in domino studiorum tuorum quieta leticia, et vere exercitatio in domino liberalis. Quamquam ergo percupiam omnino te nosse, tamen exiguum quiddam tui minus habeo, videlicet presentiam corporis. Quam et ipse postea quam te beatissimus nunc episcopus, tunc vero iam episcopatu dignus frater alypius vidit, remeansque a me visus est, negare non possum magna ex parte mihi esse relatu eius impressam. Et ante reditum cum te ille ibi videbat, ego videbam, sed oculis eius. Non autem animo me atque illum, sed corpore duos, qui noverit dixerit, concordia dumtaxat et familiaritate fidissima, non meritis, quibus ille antecellit. Quia ergo me primitus communione spiritus quo in unum nitimur, deinde illius ex ore iam diligis, nequaquam impudenter quasi aliquis ignotus commendo germanitati tue fratrem nostrum profuturum, quem nostris conatibus deinde adiutorio tuo vere profuturum speramus, nisi forte quod talis est, ut ipse tibi per eum fiam commendatior quam ille per me. Hactenus fortasse scribere debueram, si esse vellem epistolarum sollempnium more contentus. Sed scatet animus in loquelas communicandas tecum de his studiis nostris que habemus in christo ihesu nostro domino, qui nobis multas utilitates et viatica quedam monstrati itineris etiam per tuam caritatem non mediocriter ministrare dignatur. Petimus ergo et nobiscum petit omnis africanarum ecclesiarum studiosa societas, ut interpretandis eorum libris, qui grece scripturas nostras quam optime tractaverunt, curam atque operam inpendere non graveris. Potes autem efficere ut nos quoque habeamus illos tales viros, et unum potissimum quem tu libentius in tuis litteris sonas. De vertendis autem in linguam latinam sanctis litteris canonicis laborare te nollem, nisi eo modo quo iob interpretatus es, ut signis adhibitis quid inter hanc tuam et lxx. quorum est gravissima